Suum cuique.

37750 przegląd polityczno-historyczny 1775 (?)

SUUM CUIQUE.

4418

SUUM CUIQ[redacted]E.

Sedebamus domi desides, mulierum ritu inter nos altercantes, præsenti pace læti, nec cernentes ex otio illo brevi multiplex bellum redituˉrum. Livius L. 3. C. 68.

Ex quo civilibus discordiis Regnum hoc misceri cæpit, nihil tam frequens, tamque vulgare, imo ad nauseam usque legentium conspicitur; quam ingens illa varii generis ac nominis libellorum farrago; in quibus aut rudis scribendi malignitas, aut impudentissimæ criminationes, aut adulterata mendaciis veritas potiorem seductæ gentis partem in suomet errore magis magisque obfirmare non desistunt: idque eo faciliori successu, quòd in illis inveterata privatorum odia specie boni communis, mirâ scribentium calliditate plerumque contegantur. Nullum sanè hactenus prodiit scriptum ejusmodi, quod ab integra, & nullo partium studio corrupta profectum mente, solam duntaxat felicitatem publicam, sine ira & adulatione ob oculos proponat: cuncta non in commune Patriæ commodum, sed ad invidiam privatorum sunt composita.

Qui calamitatum nostrarum fontem in decursu annorum, qui ab excessu AUGUSTI III effluxerunt, se reperisse dicit; is jure meritò aut rudis est omnino eorum, quæ unquam apud nos post extinctos JAGELLONES acciderunt, aut falsîs opinionibûs præoccupatum animum ad lucem veritatis advertere non vult.

Ab excessu SIGISMUNDI AUGUSTI ad extremam JOANNIS SOBIESCII diem, plus culpæ temporibus, quàm hominibus inerat: defunctô JOANNE ad nostram usque ætatem pejores homines temporibûs esse cæpere. Decedens absque liberis SIGISMUNDUS, non proviso in Rempublicam hærede, subvertit penitus firmissima Regni fundamenta, in quibus potentia auctoritas atque prosperitas gentis suæ nitebatur. Speciosa illa verbis, re inanis & exitiosa creandorum deinceps à Popularibus Regum permissa Polonis libertas, meritò æqniparari debet fabulosæ illi Pandoræ pixidi, in qua omne malorum genus, mox in perniciem patriæ erupturum continebatur. Quamdiu opibûs ac robore militari pares vicinis extitimus; sive ut veriùs dicam, donec finitimi Principes, ad eum, in quo nunc conspiciuntur, splendorem ac magnitudinem ditiones suas perduxerunt; ruentibus intereà per segnitiem, luxum, avaritiam, & obliteratum boni communis amorem rebus nostris; redundabat more pessimo destinatus eligendis Regibus civili cruore campus, atque attrita continuîs cladibûs tranquilitas publica ruebat in deterius. Hinc ille stupor, & inaudita ad ordinandam rite Rempublicam discordium animorum inertia: non artes florescere; non ingenua juventus utilibûs Patriæ disciplinîs institui: non commercia à negotiatoribus tutò & constanter propagari: non arces urbesque permuniri: languebat industria fæcunda opum & abundantiæ parens: nihil quidquam salubris constitui, aut constitutum altioribûs radicibus increscere: cuncta inadulta ac vix orta quidem pari turbine ac violentiâ abripiebantur. Ipsos quinetiam popularium a-

animos,

nimos, ab unius hominis fato emerſura propediem novarum rerum facies, & in turbido ſpes, acrioribûs odiîs ſtibulabant. Nihil tam vulgare, quam factioſi conventus, & meditata inpoſterum ſub novo Principe potentia, privatis proficua, Reipublicæ pernicioſa. Igitur, cùm hinc ipſa gens ſimultatibûs ac motibûs inteſtinîs exhauriretur; inde finitimorum Principum callida ambitio magis magisque impelleret turbatos, componendisque per ſpeciem amicitiæ rebus noſtris nunc ſe ſocia nunc arbitra miſceret; quis porro Reges à nobis ſponte creatos, ac non potiùs, aut peregrinô aſtu, aut validiore popularium factione per vim impoſitos fatebitur?

Poſt extinctam Jagellonis domum facta eſt venalis, ut olim poſt Antoninos Roma, Polonia noſtra. Huic ſceptra deferebantur, qui aut ſuffragia majore largitionum copiâ ad ſe pertrahere norat, aut ſpecioſo Regis nomine contentus, ut inani Majeſtatis titulo collucceret, vim auctoritatis Regiæ paulatim reſolvendo, ſuis ſe juribus in favorem populi ſpoliarât. Addictum haſtæ diadema privatorum opes non Reipublicæ cenſus augebat: ditabantur factioſi Proceres communi Patriæ diſpendio & egeſtate. Nemo de conſtituenda ſtabili deinceps ac in longùm duraturo adminiſtrandæ Reipublicæ tenore cogitabat. Jllecti prava libertatis cupidine, decepti peſſimô amore non rationi, non inſtitutis majorum parendi, premimur turpiter peregrinæ dominationis jugo, quod nobismet ipſis impoſuimus; quodque inevitabile eſt iis omnibus, qui ſine viribus, ſine opibus, ſine cura & amore Patriæ, ſibi metuendi, cæteris viles & ridiculi, ſoluti denique ac disjecti, Nomadum more, ſine legibus magis, quàm in libertate vitam agunt.

Non repente tamen, ſed pedetentium, & gradibus veluti pernicioſa hæc peſtis Rempublicam exedit. Non deerant initiò fomenta curandis Patriæ vulneribus idonea: ni eodem tempore pleraque accidiſſent,

quorum interventu recrudescens mali acerbitas plus jam arte ipsa valescere, ac medentis manum penitùs respuere videbatur. Habuimus Principes virtute, scientiâ rei militaris, longo rerum usu, gentis suæ amore spectatissimos: non deerant clarissimi cives, qui eandem Rempublicam consiliîs fulcire, armîs tueri possent. Si communi naturæ humanæ vitio hos arrogantia, illos privati commodi studium a recto veræ gloriæ tramite quandoque averterant, inerant tamen nobilibus animis latentia intus egregiæ indolis semina, quæ in constituta rite Republica in copiosissimos olim fructus excrescerent; nullus tum adesset privatæ ambitioni locus, ubi cuncta ad Rempublicam vergerent; & validiore in mentibus boni communis ratione, ipsa illa, quam nunc servilem in modum, per blanditias & largitiones quærimus apud vulgum authoritas & potentia, ad publicum Patriæ decus & ornamentum facile flecteretur.

Sed inclyti illi Reges, a quibus gens nostra plurimùm sperare plurimum obtinere poterat, absque liberis decessere. Stephanum ajo & Vladislaum illum IV. gratâ semper apud posteros memoriâ recolendum principem; qui nondum rerum potitus, & jam hostium domitor, ac novi ad Boream Imperii assertor, præclara futuri Principatûs præludia Rex olim acriùs promovisset, ni tenue Sigismundi ingenium, ac deterrima in filium, nobiliora parente agentem meditantemque invidia, spem in herba prœcidisset.

Morte Joannis Casimiri extincta Wazorum domus. Supervacaneum videtur altiùs repetere, quanta hoc Principe, nostrô plerumque vitiô, ob vexatos contra jus & fas a nobilitate Roxolana Cosacos perpessi sumus. Convulsa funditùs domesticîs externîsque motibûs tranquilitas; profligati exercitus: capti trucidatique duces: vastatæ furore barbaro florentissimæ Regni Provinciæ: accisus servorum manu equestris ordo: Rex ipse rebellibûs armis petitus: cæteraque id genus mala, quæ ipsos

duntaxat

duntaxat legentium animos horrore perstringunt: cujus terrimæ pestis origo, præter ingenitam ipsius principis levitatem, ad prava adulantium consilia majori ex parte est referenda. Neque tamen Casimirus inerti dolore ruentis Patriæ fortunam speculabatur: excepit armatus ingruentes sibi gentique suæ hostium globos: post modum fato (quod & fortibus ineluctabile) per aliquot menses exulare coactus, tandem licet Patriæ & solio restitutus, sed recrudescentibus indies civilibus turbis, perpetuos & tristes exosus labores, se suosque infelicis regni tædio solvit, sponte deponens diadema, quod sibi per vim eripi haud esset passurus.

De Michaële nihil quidquam memoratu dignum occurrit: si oblata sibi fortuitò sceptra invitus accepit, noverat sane, in lubrico adhuc vix emergentis è ruderibus Patriæ statu, non adfuisse sibi tantum ingenii roboris, ut impositum humeris pretiosum onus cum gloria sustineret. Sensere brevi, nescio qua animi levitate abrepti Poloni, damna administratæ ab imbecilli Principe Reipublicæ, jamque more indomiti equi levius dorsó pondus excutere parabant, ni mors Michaëlis opportuna consilia eorum prævertisset.

In Sobiescio mixta virtutibus vitia: non abnuo plura in eo spectavisse majores nostros Rege & cive digna; majora tamen fortasse vidissent; ni ingens privati lucri studium præclaras viri dotes paulum obscurasset. Cæterùm nimia in uxorem peregrinam, fæminam animi impotentem, avidam atque superbam indulgentiá, avertit ab eo animos popularium, imminuit fidem, auctoritatem labefactavit.

Cum Joanne elata supremó funere languescens pridem ante Respublica: atque hinc omnis malorum, quæ nos in præsens urgent, origo est repetenda. Sub idem ferme tempus haud ita olim Europæis cognita Moscorum Borussorumque nomina inclarescere cœperunt. Petrus, co-

gnomento magnus, Russorum Czarus, gentem suam, nulla priùs bonarum artium cognitione, nulla militaris disciplinæ notitia excultam, veteris superstitionis ac horridæ barbariei rubigine abstersam, in lucem protulit. Brandeburgi duces, dum prudenti rerum suarum administratione, ingentes opes accumulant, dum popularibus suis militares paulatim instillant animos, ingentia futuræ dominationis jecere fundamenta; cùm interea Poloni, tardi ingruentium calamitatum provisores, per domestica dissidia, per bella cladesque intestinas, ad extrema devolverentur.

Inter quæ Fridericus Saxoniæ Elector, Flemingii Oratoris sui artibûs, æmulis palmam præripuit. Cæterùm vix imperium adeptus, ac pene in Polonia hospes (sive id amori in novos subditos, ut Provincias eorum avulsas recuperaret, sive privatis suis rationibus conveniebat) lacessito imprudenter Carolo Svecorum Rege ingentem illam teterrimi ac diuturni belli procellam in Polonos traxit: quod quidem bellum quâ fortunâ gestum, quibusve conditionibûs confectum fuerit, testes etiamnum vivos habemus. Constitutâ cum finitimis pace, cum militares Saxonum turmæ per Provincias Reipublicæ dispersæ, & passim per vicos pagosque palantes impune, oneri colonis esse cæpissent, post repetitas toties inanî rumore nobilium querelas, emersit *Tarnogradi* Confæderatio per vim actura, quod precibus obtinere nequivit. Perterritus novo civilium armorum discrimine Augustus nihil intentatum reliquit, ut resurgentis incendii violentiam, nondum coalitâ Fæderatorum potentiâ tempestive opprimeret. Scriptæ conditiones pacis, ipsa duntaxat hostilis belli atrocitate truculentiores: quæ non benigni parentis, in gratiam cum liberis redire cupientis, sed externi Principis vicinam gentem armis obterere meditantis funestam imaginem referebant. Loquor hic de Comitiis anni MDCCXVII. perenni illo insipientiæ, temeritatis ac dedecoris nostri monumento.

numento.

numento, è cujus dolosis cineribus monstrosa illa re ac nomine *Delegatio*, quam ab inermi, factiosa ac ignava gente nuper Moschi expresserunt, erupit, cunctaque graviore turbine corripuit. Hujus fœdissimi operis instrumenta fuêre cives ipsi, adsciti in partem laborum ab oratore Saxonico, homine ingenió perferoci ac turbido, à Principe Poloni nominis & existimationis incurioso, quem, si Regiæ Majestatis titulum excipias, nihil quidquam cum gente commune habuisse novimus. Igitur utriusque artibûs circumventa respublica, solvit militari sacramento exercitum, omniqué robore ac vigore destituta, umbra atque exsangue corpus extitit, primô quoque tempore sine spe collapsurum. Quæ secuta sunt, defleri magis, quàm recenseri debent: amor patriæ, boni communis cura, vana nomina: strepebant adulantium clamoribûs comitia, solvebantur vel nulló, vel privatorum tantùm emolumentó: ac si forte aliquis ex verbosis istis Demogogis de suo in Rempublicam studio meditatîs verbîs palam differuit, illud erat ornandæ orationis gratiâ, non juvandæ Patriæ.

Ereptó è vivis Augustó II. universa gens rite ad Varsaviam congregata, Stanislao Leszczynscio sceptra detulit, præmissó ante publicó actu, quo peregrinis Principibus iter ad solium præcludebatur.

Elector Saxoniæ demortui Regis filius, flagrantissimè cupiebat in locum Parentis subrogari: mercabantur suffragia magnâ pecuniarum vi, successu nullo, cùm omnium studia in æmulum civem inclinarent. Qui ejus partes sequebantur, pauci admodum erant; intereà (ut quisquam non inficetè scripsit) perterrita hæc nova Triumvirorum Respublica acerrimîs in Stanislaum omnium ferme studiis, trajecit amnem Vistulam tribus rhedis inclusa, atque ad pagum Grochovo Augustum III Regem Poloniæ renunciavit. Neque tamen electus paucorum instinctu Princeps, obtentum contra leges imperium tueri potuisset, validiore adver-

fariorum factione, nisi præter Saxonicas copias, quæ jam in finibus Regni constiterant, Moschorum militum sexaginta millia, quorum sex millia ipsi electioni adfuerunt & præfuerunt, ab Imperatrice Anna fuissent submissa. Atque hîc denuò jam Russi in suppetias domui Saxonum vocati, peregrinâ vi, domestica Polonorum negotia turbare cæperunt.

Potitus rerum Augustus III, & jam securus dominationis, in solio, quod per triginta annos ignavus occupabat, consenuit. Nullâ patriæ, quasi non suæ curâ, gubernacula imperii ministris tradidit, qui suis rebus faventiores, negotia publica leviter, subdolè ac plerumque avarè cum invidia Principis & absque dignitate tractabant. Sułkowski primus in scenam prodiit, qui si diutius gratiâ apud Regem valuisset, plus ex eo patria emolumenti cepisset, nam & suos amabat, & studio ostentandæ inter populares potentiæ, salubriora illi subministrâsset consilia, ut in Polonia potiùs, quam apud Saxones suos commoraretur. Sed contumax arrogantia (quæ plerumque in iis, quos benignior fortuna repente è sordibûs natalium in lucem profert, modum excedit) invisum Augusto reddidit, atque è splendore aulæ, rursus in privatæ vitæ tenebras, unde emerserat, detrusit. Subrogatus Sułkowscio callidior Brillius, ut primùm in aulam irrepsit, omnes ad Principem aditus occlusit; occupatôque penitùs per blanditias & falsa delinimenta Regis animô, fovebat perspecta sibi ejus vitia, superbiam & desidiam. Nullus Augusto erga gentem, cui imperabat, amor: rarus in Regno hospes, quodque sibi diversorii locô, non domûs fuit. Repentinô tamen Borussorum in Saxoniam impetu exturbatus, secessit Varsaviam, in qua plures per annos, dum bellum in Germania arserat, invitus mansit.

Pulsus hæreditariîs sedibûs, vexatus crudelissimè ab immiti hoste, si animum eo intendisset, ut gentem, cujus diademate splendere potius, quàm felicitate perfrui malebat, imminenti haud dubiè fatô eximerèt,

diversa

diversa nunc omnino cerneretur Poloniæ facies: constitueretur certa quædam, nec tot pernitiosis mutationibus obnoxia Reipublicæ forma: asseruisset principatum liberis; delinitisque per egregia in patriam merita subditorum animîs, illustre, auctoris ac parentis, novi veluti cujusdam imperii, nomen jure apud posteros meruisset. Sed tempus illud rebus agendis aptissimum, turpiter ob socordiam imperantis præterlapsum est; nunquam fortasse, aut post longam demum ætatum seriem nepotibus rediturum. Distracta quippe armîs vicinorum potentia, dum illi sua quisque jura marte tuentur, nostra nobis reliquissent, minores ad plures curas, & domestica exterîs præponentes: adessent domi forisque parata exequendo novo operi instrumenta: simul juncti sanguine Principes, consobrino Regi, prosperitati domûs suæ, ac Reipublicæ prospicere meditanti, opem certam præstitissent, quam, ne Elisabeth quidem Russorum Imperatrix, bello tum cum Borussis intenta, amico sibi Principi abnuisset.

Cæterùm, si parva Regi Augusto rerum nostrarum cura, major ipsius gentis in curandis propioribus negotiis socordia. Pauci cogitabant, utendum tempore, succurrrendum patriæ: ac si cuipiam in mentem venit saluberrima hæc cogitatio, leviter animum prætervecta ad inania transibat. Nemo postbabitis communi utilitati privatîs simultatibûs, in unum corpus Reipublicæ coalescere, ac viribûs conjunctîs malo imminenti obsistere, duce veluti atque antesignano amore patriæ, nitebatur. Distrahebantur quippe procerum, ac nobilitatis studia gravioribûs nugîs. Ruere crederes Rempublicam, tanto animorum motu excepti à Mniszchone ejusque clientibûs nuncii, si quis è partibus Czartorianis in judicem, in commissarium, vel quodvis aliud munus delectus fuit: infestiore multò certatum prælio, si cui officium nuncii terrestris, vel quod majus est mareschalci obvenerat; ne scilicet eorum

consilia præverterentur in comitiis, quæ nunquam ferme ultra biduum in vanis atque insipidis strepentis vulgi clamoribus duravêre. Querebantur contra Czartoriani, violari leges publicas, contemni egregia in patriam merita, cùm Rex instinctu Mniszchonis, Brillii, vel qui tum in aula gratiâ Principis præpollebat, dignitatem Senatoriam, sive Starostiam alicui, qui non ex eorum cætu esset, contulerat.

Quæ porro clades genti atrocior? quod dedecorosius in conspectu universæ Europæ spectaculum? quàm stipati illi infamî gladiatorum satellitiò Vilnæ & Petricoviæ conventus ad stabiliendos dicendo juri publico annuos magistratus? Quàm præclari illi justitiæ dispensatores, qui vi & ambitione potentiorum intrusi, muneribûs & pecuniîs corrupti, legum inscii, plerumque vel effrenati juvenes, nuper à ferula pedagogorum ad tribunal delati, vel turpissimæ adulationis senes, ipsam duntaxat justitiam miserè conculcabant obterebantque?

Non minus atrox & pudenda Senatûsconsultorum facies: sedebant togati cavillatores, æmulatione potentiæ mutuîs se probris ac convitiîs proscindentes, adhinniente post subsellia vulgo, & ut quisque adversarium altiùs perculisset, plausu malignitatem fovente, aut in tabellas acutè dicta referente. Longum esset ipsorum comitiorum deliramenta referre, quæ prudentibus bilem & lacrymas; quibus nulla boni cupido, vel malorum cognitio, risum movebant: cùm nimirum hic religiosus Augur, *non posse ea auspicari ob imminentem divorum Angelorum diem*, totis lateribûs asseveraret; ille *delatum Radivillio non Oginscio Palatini Vilnensis munus* acerbissimè quereretur; alii alia vecordia passim atque stulta obtruderent, quibus desideria patriæ morarentur, & vocem implorantis opem extremam, immaniores parricidîs, præcluderent. Quid dicam de ingentibus illis in recta judiciorum, quæ Tribunalia nuncupantur, administratione procerum nostrorum exantlatis laboribus? Nulli

operæ,

operæ, nullis impensis parcebatur, ut in venerabili illa judicum corona numerô suffragiorum præpollerent; ut invisos sibi subselliîs exturbarent; pro suo arbitrio cuncta componerent; nullam sibi, suæque familiæ nobiliorem apud posteros gloriam & existimationem futuram rati, quàm si clientum & satellitum suorum causas ambitione, vi, minîs, ac pecuniîs tuerentur. Atque ex turpissima hac agendi ratione, præter inanem temporis jacturam, quod rectiùs salubriùsque prospiciendæ utilitati publicæ consecrari poterat, id quoque non levis damni accepimus, quòd continuâ litigandi assuetudine in putidos sophistas, vanos causidicos, ac verbosos declamatores mutati sumus; atque eodem ferme tenore gravissima reconditæ politices negotia tractari existimamus, quô in foro privatorum causæ discuti, ac definiri consueverunt.

Hoc rerum nostrarum luctuosissimo statu Augustum Dresdæ fatis concessisse fama publica tulit. Ejus morte finita Saxonum in Polonia dominatio, pluribus de causis Reipublicæ funesta & exitiosa. Nam parens, præter exutam armîs, ut suprà memoravimus, gentem, immoderatum vini usum induxit: filius per luxum, muliebres munditias, ac peregrinæ magnificentiæ fastuosam imitationem, quidquid adhuc virilis inerat animi, corrupit. Percrebrescunt vulgò hodie querelæ plurimorum, qui desideriô Regis demortui præsentia incusant acerbissime, laudant præterita; quòd nimirum ejus principatu, quieti pecuniarum accumulatores per triginta circiter annos inter septa domestica ignaviter hæserunt. Sed ii meo quidem judicio, illud scriptoris rerum Romanarum florentissimi identidem sibi in mentem revocent, quod opellæ huic nostræ in modum epigraphes præfiximus. Hæc fuit videlicet deterrima pax, in qua dum exitiosô champion veternô quiescimus sepulti, parabatur interea incautis & stertentibus fatalis procella, quam cervicibus nostris cùm olim vigiles potuissemus depellere, maluimus præsentibus segniter indormire, quàm periculosa tempestivè avertere.

Demin

Demirari satis nequeo vecordem eorum sapientiam, qui apud imperitas vulgi aures, à quo deorum in modum coluntur, disserere non verentur, præsentium nimirum malorum originem ad tempora usque Petri Russorum Imperatoris referri debere: quasi is eorum seriem atque ordinem ad opprimendos Polonos mirâ ingenii profunditate vaferrimè contexuerit. Non est operæ pretium per tot ambages quærere calamitatum nostrarum auctorem: ipsi nos ansam domesticis cladibus præbuimus, qui per sexaginta annorum spatium socordes, omnem constituendæ Reipublicæ curam abjecimus.

Defuncto Augusto III, ab Electore Saxonico filio ejus submissæ fuerunt quibusdam è proceribus aliquot cohortes levioris armaturæ, sub cognito satis nomine Ulanorum, quæ ejusdem Electoris stipendiîs alebantur. Privatorum ambitio militaribûs Reipublicæ copiîs, quæ juxta vetustissima patriæ instituta interregni tempore in finibus, nullô partium studiô, attineri debebant, ad turbandas domi res per cædes nobilium, ac libertatis stragem in comitiolis anteconvocationis abutebatur.

Ergo ubi gliscere jam cæpit quorundam factiosorum potentia, ut oppresso communi æqualitatis jure ipsi præpollerent: ubi libertas suismet armîs petita, nihil sibi spei in vano atque invalido legum præsidio superesse vidit; tum demum æquum duxit, quemcunque modum sors aut consilium obtulisset, jure naturæ contra vim oppressorum se acriter defendere. Tantùm mala possunt exempla, ut non solum innatam hominibus pravitatem alliciant, verum etiam optimos quosque, atque integerrimos cives ad sui imitationem vario rerum confluxu protrahant!

Peractis

Peractis ergo ancipiti marte ſolitîs, ante commune de eligendo Rege conſilium, comitiolîs, arrecta gens univerſa expectabat tempus, in quo de ſumma Reipublicæ diſceptaretur. Interim Catharina per Keyſerlingium oratorem voluntatem ſuam declaravit: deſiderare ſe nimirum, ut in futurum Poloniæ Regem civis, ac præ cæteris omnibus Stanislaus Poniatovius, ſummus Lituaniæ Dapifer inauguraretur. Mirum id aliis videri: alios conturbare: aliis diſplicere: ut quisque in hunc vel alium, amore aut odio propior, variîs ſtudiîs ferebantur.

Primâ Comitiorum convocationis die, circumſeſſa, quod nemo ignorat, militari globo curia: adverſa Czartorianæ factio, miſsîs, qui intercederent, ac de illata legibus vi quererentur, exceſſit ex urbe præceps, ſoluta, incondita, nullo ordine, qui ſpeciem ſaltem aliquam coalitæ in unum corpus Reipublicæ præſeferret. Ab hoc tempore nihil quidquam in publicum protruſum, quô conventus Varſavienſis numeroſiſſimi ac rite congregati violentia incuſaretur.

Intereà, qui Varſaviæ commorabantur, ſervatîs ex legum præſcripto omnibûs, quæ præſens uſus poſcebat, urgebant deſtinata: còercita certîs limitibûs ingens olim, ac privatis civibus plerumque exitioſa Ductorum exercitûs potentia: domita Præfectorum ærarii avaritia: quod licet quibusdam moleſtum & intolerabile, publica tamen utilitate abundè penſabatur. Quid enim pernicioſius, quid magis inſolens, atque à recta ratione alienum? quàm ut vires & opes Reipublicæ ab arbitraria duorum hominum poteſtate pendeant, qui militaribûs copiîs, ac ingenti pecuniarum numero aucti, ipſis ſæpenumero legibus formidoloſi extitêre. Motus ordine Senatorio Radivillius, qua authoritate & ipſe ad perturbationem Reipublicæ non ſemel abuſus eſt, & ſuorum ſatellitum petulantiam juvit: illius tamen domeſtica cum creditoribus negotia ad

coru

consueta judicum subsellia remittenda erant: sed hæc est naturæ humanæ misera conditio, ut in rectefactis etiam modum excedat, tenui admodum virtutes ac vitia intercedente discrimine.

Finitîs de more Convocationis comitiîs, cætera ad electionem usque pacatissimè transiêrunt. Jlluxit tandem destinatus creando novo Principi dies. Quanto animorum consensu & libertate, quàm splendidè ac magnificè, servatô omni majorum ritu instituta fuit Stanislai Augusti electio, id testimoniô plurimorum millium, quæ Varsaviam è diversis Regni provinciis convolarûnt, etiam nunc manifestum est, adeò; ut majorem in ullius Principis inauguratione tranquillitatem & ordinem nulla vetustatis suggerant monumenta. Nihil ibi prærupti atque præcipitis, nihil secreti & clandestini: cuncta palam & in luce gentis fiebant. Multorum dierum intervallô comitia hæc duravêre: singula negotiorum maturè prudenterque discussa, concorditer terminata: nemo per vim in urbe attinebatur: tamqué libere, cui placitum erat, abibat, quàm loquebatur, qui remansit. Ne unus quidem exterorum militum Varsaviæ & in circumjacentibus ad plura milliaria locis cernebatur. Erat quidem in Polonia exigua Moschorum manus, sed quæ tum primùm pedem intulerat, quando elector Saxonicus suarum partium proceribus militaria jam subministrârat auxilia, & postquam Reipublicæ ipsius copiæ supra legis concessa libertatem gentis coercere ausæ fuerant. Si tamen fæderata in comitiis Convocationis Respublica, penes quam summa tum imperii fuerat, ad arcenda in posterum temeraria quorundam procerum studia Russos in auxilium vocavit, nemo è congregato ad Varsaviam cætu vim sibi ab eis illatam questus est; agebat omnia pro suo arbitriò gens universa, & unanimi præsentium civium consensu, quibus solis creandorum Regum potestas veterî legum institutô tribuitur, Stanislao Augusto sceptra detulit.

Liceat

Liceat hic mihi paucis à propofito digredi, atque, inftitutâ utrinque comparatione, indifcretis eorum clamoribus refpondere, qui vel rerum ignari, vel turpi invidiâ inftincti Stanislai Augufti Regis electionem per vim expreffam, & contra legum patriarum placita inftitutam dicere non verentur.

Tota gens Lefzczynfcio fceptra defert: pauci Electorem Saxonicum, Regem pronunciant: interim fubnixus auxiliaribûs Mofchorum copiîs Saxo, palmam æmulo præripit, quem univerfi Regni ordines principem conftituerunt. Catharina II civem Polonis imperare optat, commendat Poniatovium; licet pauci admodum à comitiis Convocationis abfcefferant, nullô tamen dictô aut fcriptô quisquam eorum valorem electionis improbavit: omnes viritim Provinciæ, in fuas partitæ claffes, præeunte Primate, locô folitô, fumma cum tranquillitate, nemine contradicente, voce unanimi, ne uno quidem extero milite comitante, Stanislaum Auguftum in Regem eligunt: intereà tamen electio hæc violenta à criminatoribus perhibetur, quia quinque circiter millia Mofchorum tunc temporis erant in Polonia, fed multis milliaribus ab electorali campo diffita. Quisnam autem prudens fperare poterat, hôc præfertim rerum in Europa ftatu, exteros principes inermibus Polonis integram libertatem relicturos, ut absque eorum interventu Reges fibi imponere, atque opus tanti momenti ad exitum perducere poffint?

Eorum, quos felicior nafcendi fors hæreditario jure ad folium extulit, rari admodum ad fummam imperandi artem facti, nedum nati extitêre. Porrò fi his aliquâ, maximâ certe prudentiâ opus eft illis, quibus id populi arbitrium detulit, quod aliis natura conceffit; nam mutatâ conditione fortunæ adeò omnia in illis permutantur, ut aliam propemodum perfonam induant eft neceffe. Nihil tam fpecie diverfum, quàm dotes principum atque ingenia privatorum.

 Voronea

Vonones Parthorum Rex, Romanis in urbe disciplinis institutus, ac demum in patriam redux, posteaquam rerum potitus est, vixit more peregrinô, comis, affabilis, aditu facilis, atque in ipso duntaxat solio civis. Intereà barbaris, qui Regum suorum majestatem in numeroso satellitum comitatu, raro cum subditis colloquio, luxu & apparatu, Asiaticis principibus consueto, consistere arbitrantur, adeo displicuit; ut teste Cornelio Tacito ipsas virtutes ad vitia trahentes, contemptum atque irrisum postremò Regnô ejecerint.

Si quis Principis nostri indolem, mores & acta, mutuatis vel ab ipsa invidia oculis, introspicere malignus censor velit, nullam in eo graviorem culpam reperiet, quàm quòd pro innato sibi gratificandi omnibus studio, Regis interdum oblitus, civem se præstiterit: qua quidem in re, cùm summa viarum perplexitate, ac velut perpetuis quibusdam ambagibûs incedendum sit, nihil æquè facile contingit, quàm iisdem meandris implicatum teneri.

Electionem, Coronationis comitia brevi sunt consecuta. Tum verò statim crebræ jactari querimoniæ: fastidia domestica recrudescere: civiles animos renascentibûs odiis in varia distrahi: quæ quanquam levioribûs, ut assolet, orta principiis, non levem tamen rebus negotiisque publicis jacturam adferre consueverunt. Intereà Regi, quique illi sunt à consiliis, Russorum Imperatrix denunciat: *optare se dissidentes in Polonia plus æquò afflictos sublevare, vexationibus Cleri Catholici eximere, religiosas eorum cæremonias, bona, incolumitatem tueri: binas denique cum jurisdictione Præfecturas (quod tamen ab integro Regis vel impertiendi, vel negandi arbitrio pendeat;) concedi.* Tam fuit æqua & moderata prima illa Imperatricis postulatio, ut si quis eam in dubium vocare velit, is nescio, an turpius ignorat, an malitiosius dissimulat.

Posse

Posse cuivis Principum, pro innata sibi humanitate, & solius gloriæ instinctu, interponere preces apud vicinam gentem, ut partem aliquam miserorum, qui eandem cum illis religionem profitentur, duriùs tractari non sinat, citra controversiam est. Jllud verò ab omni rerum natura ac memoria alienissimum, ut gens aliqua inermis & imbecilla, tam arroganter respuat postulata potentiorum, ut in iis rejiciendis omnem humanitatis & officii rationem, quæ in privatæ etiam vitæ commercio usuvenire solet, penitus obliviscatur. Ita quidem nos cum Moschis egimus.

In comitiis anni 1766 Repninus, Imperatricis Russorum orator, frequente Senatu Principis suæ voluntatem declaravit: id ipsum asseruit Benoit Regis Borussorum Minister. Hîc demum quorundam abrepta nimiô tuendæ Religionis ardore mens, aliorum privata odia speciosô studii in Rempublicam nomine palliata, exarsêre: gliscebat incendium tantò majore violentiâ, quantò plures erant, qui nacti idoneum tempus, ut privatas injurias ulciscerentur, copiosiorem materiam turbidîs concionibûs præbebant. Non fuit satis falsis istis avitæ Religionis propugnatoribus æqua pro dissidentibus postulata rejecisse, nisi etiam contra illos pristinus legum rigor, majore pæuarum severitate auctus denuò firmaretur. Quod sanè manifestam eamque gravissimam plurimorum Europæ Principum, qui sibi id negotii promovendum sumpserunt, offensionem traxit. Excusamur equidem potiore adstrepentium nunciorum numero, quorum pervicaciam frangere nec ratio nec tempus valebat. Horum alii erant, qui suis tantum commodis in novarum rerum turbine gratificantes, conscientiam imperitorum Religionis periculô territabant. Alii suspicionum nebulîs, caliginosas suapte natura mentes magis magisque involvebant. Quî namque id fieri potest, ut in sordido illo gymnastico pulvere teneris ab annis enutrita,

& præter putidam deterrimi ævi Latinitatem, nihil quidquam boni gnara, provinciali nostra nobilitate, ex cujus tamen cætu deliguntur procerum clientes, non qui nôrint aliquid, sed qui servilem in modum jussa Patronorum exequantur; quî inquam fieri potest, ut inconditus ille grex, arcana principum consilia, ministrorum artes, negotiorum, sive quæ ad peculiare cujusque commodum, sive ad universæ Europæ administrationem pertinent, vim & scopum penitus introspexerit, atque prudens cognoverit? Quare quidquid peccatum est, in hos ego primum veteratores totam culpæ molem conjicio, qui suîs præstigiîs obfuscatum vulgus in errore pernitiosissimo, propter privata commoda, obfirmare veriti non sunt: præterea in illos, qui ignaris rerum, cùm facem præferre possent, maluerunt tacere: ne/ si quid præoccupatis jam auribus ingratum dixerint, quasi impii & libertatis osores haberentur. Nemo itaque fuit, qui in tam lubrico & ancipiti Reipublicæ statu, ubi rejectæ potentiorum preces pernitiem omnibus, favorabilis pro eorum postulatis apud populares oratio invidiam & odium privatis minabatur, nemo inquam fuit, qui exemplo Joannis Tarnovii re, non nomine civis esse maluerit: *erat ille quippe vir re magis, quàm ostentatione popularis, & maluit in favore populi periclitari, quàm secundum populum res populi male agere.*

Est profectò præcipuum illud boni civis/ officium, recta semper, etsi minus quandoque in vulgus grata consilia afferre; tùm præsertim, cum patriæ salus unà & pernicies, eodem propemodum cardine vertuntur. Quisquis est, qui diversa agit, hunc ego non absimilem medico existimo, qui, ne sibi irascatur ægrotus, nihil ipsi, unde certum etiam exitium subsequatur, negandum judicat.

His accesserunt alia, quæ intricata jam satis Comitiorum 1766 negotia gravioribûs difficultatibûs, indagine veluti quadam, magis impli-

cavêre. Præter rogationes favore diſſidentium factas, relatum eſt: *ut deliberationes publicæ, quæ olim unius interdum venalis nuncii interceſſione rumpebantur, potiore dehinc ſuffragiorum numero definiantur.* Non abnuo ſalubre id Reipublicæ atque frugiferum fuiſſe conſilium: ſed neque hujus temporis erat, neque tantâ animorum contentione perurgendum. Nam ut primùm percrebuit; ſtatim advertit ſuſpicaces exterorum Principum animos, quos tam repentina inveteratæ apud nos interceſſionis, vulgo *liberi veto*, clades anxios atque ſollicitos reddidit. Has quoque novorum motuum faces, ab ipſismet civibus admotas non dubito, quibus prima ſui, noviſſima patriæ eſt cura.

Intereà vehemens ille Repnini ardor in promovenda diſſidentium cauſa tantisper elanguit: omnem ille videlicet eò intendit mentem, ut facta nuper de ſuffragiorum pluralitate rogatio, reſcinderetur. Igitur adjungit ſe partibus Soltykii Cracovienſium Epiſcopi, qui non ita pridem factionis Ruſſis atque diſſidentibus adverſæ, anteſignanus habebatur. Atque hæc mira Sacerdotis Romani cum Græco homine ſocietas, atque concordia, repentem jam olim rumorem: *non eſſe cordi Moſchis diſſidentium negotia: poſſe eorum poſtulatis nullô patriæ periculô acriter reſiſti: id ſolùm verè Imperatricem curare, ne per emendatam Regiminis formam Reipublicæ vires augerentur:* certô veluti indiciô confirmavit. Hæc atque talia crebriùs jactata, decepêre improvidos nunciorum animos eò faciliùs, quòd nemo ex proceribus contraria, ſive per ignorantiam, ſive per malitiam, loqueretur. Temere & ferociter ergo illis in comitiis Poloni abnuêre omnia, quæ in gratiam diſſidentium poſtulabantur, mox turpiter pejora conceſſuri.

Poſt hæc dimiſſa Comitia: ſoluta Confæderatio, unicum periclitantis patriæ ſubſidium, quòd & ex optimis civibus eſſet conflata, & pluribùs ad utilitatem communem ſalubriter conſtitutis bene de Republica

meruiſſet:

meruisset: perfectisque omnibus, quibus ne dolosissimus quidem hostis perniciosiora suggerere potuit, quisque domum suam tranquillus repetiit. Sed Moschi disjectis, quae sibi noxia videbantur consiliis, amotisque ipsorum Polonorum ope in proximis comitiis obicibus, denuò spretam rejectione pro dissidentibus precum majestatem Imperatoriam palam conqueri, ac majore jam nisu destinata urgere. Praepositus exequendo operi Repninus doli minister adrependo vaferrime privatis cujusque studiis, ut quis vel avarus, vel superstitiosus, vel arrogans, vel hostis Regis, hos spe, alios promissis, omnes speciosô Reipublicae bonô ad praetentos alliciebat laqueos. Vulgabantur vani rumores: *Regem solio deturbatum iri: opprimendos brevi ejus assectas: eorum bona à victoribus dissipienda: mergendos iterum in saccis Vesselianis Reipublicae census: reddenda ductoribus exercituum licentia ad imponendos armis togatos in jure dicendo Magistratus:* tum multa alia, quibus instincti clarissimi isti libertatis ac religionis vindices, Radomiam, ut patriae succurrerent, flagrantibus animis confluxère. Praesidebat novae huic Reipublicae Karr origine Scotus, incolatu Moscus, vir, communi tum eorum asseveratione, qui nunc contra oppressores Moschos truculentissimis vocibus conqueruntur, vir, inquam, eorum tunc asseveratione inclytus, & bonae causae defensor strenuissimus. Electus in Mareschalcum Radivillius: dissidentium Confaederationes Sluciae & Torunii pro ratis habitae: missi ad Imperatricem oratores quatuor, qui & de Rege suis intentis adverso quererentur, & novum in Polonia inter cives faedus ictum denunciarent, & gratiis pro collata ope militari actis, ut quae demum ipsi in futuris comitiis fecissent, gratum perpetuumque, ac suâ authoritate communitum habere vellet, enixè postularent. His tandem Radomiae quasi feliciter constitutis, Varsaviam itum. Caeterùm reperti sunt in eodem ipso caetu complures, qui demirantibus, ac sciscitantibus amicis: *quid sibi in tam singulari opere proposuissent?* alii fatebantur ingenuè: *ne se quidem*

scire

ſcire, quid egiſſent: alii dicebant: *ſe fraudibûs circumventos, nec quidquam tale augurantes erraviſſe.* Inane ſtultitiæ perfugium, ipſo errore ſi non turpius, at certe miſerabilius.

Supervenêre tandem peſtifera illa comitia: ſed jam omne deliniendæ mitioribûs conditionibûs Ruſſiæ tempus præteriit. Offenſa quippe graviùs, & priſtinæ moderationis limites egreſſa, non modum ultra ponebat, poſtulatis, non in exigendis illis ſeveritati parcebat. Ipſa ſuarum, quas ſibi illatas cenſebat, injuriarum ultrix, compulsîs in prætentos laqueos, qui ſe deludi permiſerunt, Radomienſibûs fæderatîs, docuit tandem ſerò ſapere, quod machinatorum artes, plerumquè in ipſorum auctorum perniciem recidere ſolent. Sed operis totius ſeries ac ordo, juvantibûs callidè Moſchîs, Podoſkium Primatem, ejusque aſſeclas duces habuêre. Quid actum fuerit in iſtis comitiis, recentis adhuc rei memoria obliterari non ſinit. Abhinc omnia prærupta & violenta; nihil æqui & moderati, ſolitò potentioribus ingeniò, quibus lex, ratio & honeſtas ſola voluntas eſt. Ergo ſanctiſſima gentium jura violata: rapti ex urbe, Regum ſede, vocati ad commune Reipublicæ conſilium cum Nuncio terreſtri Senatores: quorum è numero Epiſcopus Cracovienſis cæteros in eandem ruinam traxit. Deflagravit Epheſi celebre Dianæ delubrum, admotîs ab Heroſtrato facibûs, ut ſorte funeſtiſſima clarum apud poſteros nomen obtineret.

Sunt qui Soltykum demirari ſatis nequeunt, ſummum eum virum, propugnatorem patriæ acerrimum, ac religionis vindicem prædicando. At quibûs ille monumentîs præclaram hanc animi ſui magnitudinem, hunc flagrantiſſimum Reipublicæ amorem comprobavit? an quòd in comitiis ſexageſimi ſexti non perpenſâ futurorum ratione, ſpretîsquè ſanioribûs conſiliîs, turbidîs orationibûs animos omnium concitaſſet, ut eandem Rempublicam, à ſe concuſſam ac perditam, inani demum verborum ſtrepitu, & quæſitæ eloquentiæ prava oſtentatione defenderet? ut plau-

ſus adblandientis vulgi, vanitatis avidus exciperet? ut in annalibus oppreſſæ ſuo inſtinctu patriæ, diverſus pro ratione temporum actor, ſæpiùs in ſcenam prodiret? Hujus proculdubiò hominis inquieto ac præcipiti animo, hujus arrogantiæ maxima ex parte adſcribendum eſt monſtroſum illud comitiorum genus, quod ſub inaudito adhuc *Delegationis* nomine ſera mirabitur & horreſcet poſteritas. Ex hac fæcunda omnium calamitatum parente prodiit illa legum pernicioſarum rudis atque indigeſta moles, ſuperbiæ, potentiæ & æmulationis multiplex & adulterinum opus, cujus auctores laudibus extolluntur, invidia penes innocuum Regem manſit. Dilatîs in aliud tempus comitiîs, ſecuta præſentium ſpecioſa approbatio, quaſi pro ratis haberentur, quæ per vim expreſſa fuerunt. Sed cur, quæſo, falſi iſti boni publici propugnatores in tam funeſto patriæ caſu, cum peregrina armatorum manus è medio ſui Senatores abduceret ignaviter tacuerunt? cur non teſtabantur, *ſe nihil quidquam in poſterum acturos, niſi abrepti reſtituerentur*? Non ſufficeret equidem, quantus quantus erat Repninus, rapiendis omnibus, ſi omnes vim ſibi inferri pariter adclamâſſent. Cur in eadem delegatione ipſi ultro oratori Ruſſo libellos obtrudebant, ut privata eorum negotia publicis his quaſi ſancitis infererentur? Imo Radivilianorum veſania, ac ſi totius gentis nomen præſeferens, tunc temporis omnia in legem dicere valebat, quæ modo à Ruſſorum legato probabantur. Quæcunque verò ab eo illis conceſſa, talia erant, ut Poloniam indies debiliorem, & internis turbis aptiorem redderent. His quandoquidem Rex obſtare auſus, Repninus & ea ſe everſurum minabatur, quæ adhuc ſupererant ex legibus poſt mortem Auguſti III ad incrementum Reipublicæ latis. Ærarii & rei militaris collegia, nobilium Tyronum academia, emendata Regis diſpendio moneta, omnia hæc tum in præceps ruiſſent, ſi furenti amentiæ ipſorum Polonorum iſtorum ipſe Moſchus ille penitus laxâſſet habenas. Laxare autem pollicebatur, ſi Rex in *Guarantiæ* & diſſidentium negotiis Ruſſorum intentis obicem ponere perſiſteret.

Completo

Completô itaque Varſaviæ Radomienſi opere, ictum in Podolia Barenſe fædus, pejor medicina morbô, nullô certô ſcopô, quò tenderet, nullîs armîs, quibûs deſtinata tueretur, nullîs vicinorum Principum certîs promiſsîs, ſine belli nervo, ſine duce, cujus prudentî imperiô regeretur. Maxima in Ottomannis ſpes, quorum ego quidem amicitiam barbaram, & Chriſtiano nomini infenſiſſimam, omni hoſtili clade truculentiorem aſſeverare non dubito.

Quæ ad annum ſexageſimum nonum acta fuerunt, ea propter ingentem rerum perplexitatem, ac perpetuum veluti turbinem, nequaquam penetrari, ne dicam introſpici potuerunt. Privata cum publicis, vetera cum recentibus, extera cum ſuis in unam conjecta molem, multiplicique variorum hominum ambitione agitata, informem quandam fabuloſi illius *chaos* imaginem referebant. In decurſu ſexageſimi noni majore niſu communis erupit dolor. Perculſa lethali vulnere gens fomenta popoſcit: at graviore ſuo periculô, quòd medendi curam homines imperitiſſimi, & ſuæ potius egeſtati, quàm patriæ ſaluti proſpicientes, ſumpſiſſent. Fruſtra illi legum auctores purgari acta ſua coram patria & poſteritate volunt, inani hâc paſſim pervulgatâ excuſatione: *voluiſſe ſe nimirum viliore patientiâ Varſaviæ expiare, quæ Radomiæ imprudenter peccaverant.* Sed ejusmodi ſive criminis, ſive erroris purgatio, nonne pejoris culpæ priore manifeſta eſt confeſſio? Hos ego homines non abſimiles illi chirurgo eſſe puto, qui vulneribûs manu ſuâ inflictîs, & gliſcente jam mali atrocitate funeſtiora adhibet remedia, *omnia ſe præſtitiſſe*, inquiens, *quæ poterat.* At quis enumerando conſequetur ingentem illam innocentium victimarum ſtragem, quas cæci illi coryphæi, vel ſua pravitate inſtincti, vel fallacibûs externorum promiſsîs illecti in ruinam traxerunt? Quod ſtrenuiſſimi viri, fortiſſimi cives, nullô emolumentô per acies cecidêre, tanto majore Reipublicæ luctu, atque dedecore, quod iidem ipſi aliis ductori-

D

ctoribûs salvi & incolumes, eandem incolumitatem universæ patriæ asseruissent?

Post varias demum, per diversas Regni Provincias, institutas confæderationes, tandem Generalis coaluit. Nihil tam facile, quàm oppressam gentem ad arma concitare, quæ jam ipsa per se justi doloris acerbitate stimulata, ademptam libertatem vindicare summô desideriô flagrabat. Gravioris negotii res est, concitatam regere tanta æquitate & constantiâ, ut quod agat, certò se consecuturam sapienter speret. Præstiteritne id nostra illa *Generalitas*, hujus me quidem rei vadem interponere vix auderem, cùm certò sciam, eam propter continua jurgia, altercationes, imò plerumque cædes ac proscriptiones mutuas, Europæ universæ ridiculum ac miserabile simul spectaculum non semel exhibuisse.

Vessellius, flagrante in ærarium Reipublicæ cupidine, ab eo se divelli acerbissimè tulit. Impatiens doloris, ut aliquid ægro animo delinimenti sumeret, curavit ope Repnini, in celebri illa *Delegatione*, tercentum florenorum millibûs lugentem crumenam recreari: cùm autem spem suam ob ingruentes paulò post civiles motus incertam existimaret, arrectîs auribûs ad Saxonici auri tinnitum arripuit occasionem, & ad tutandam permixtam nummis cum Religione libertatem gladium Teschini strinxit. Mostovius Mazoviæ Palatinus, tot patratorum criminum ignominiâ maculosus, provisâ corpori suo extra limites Regni securitate, vociferari pro aris & focis liberè, ut patriæ gratificaretur, non desistit; dum intereà aliqua rapiendi ex alieno occasio sese feliciter obtrudat. Quid dicam de Pacio, qui hærente inter Ottomannos Krasinscio summæ authoritatis vicariam potestatem gerit? ille est, qui acerrimô ministeriô partes factiosorum contra Regem juvit: Varsaviæ patientissimus Moschicarum legum assertor, easdem cum cæteris subscripsit: Nesvisii Lituanorum primipilus, Radivilianas acies inprospero marte Russis objecit: ibidem pactæ

cum

cum Moschis fidei, nil se in posterum contra eos moliturum, ruptor & profugus, novæ rursus confæderationis auctor & antesignanus. Quid memorem illos Dzierżanovios, Martinos Lubomirios, Franciscos Sulkovios, cæterosque ejusdem furfuris hæreditatum decoctores, quibus in pace nulla spes, omne consilium in turbido. Hi sunt, quorum ductu & auspiciîs tota confæderationis Barensis moles agitur: quorum consiliîs regitur numerosa populi Poloni portio: quæ si viros prudentes, integros, atque ab omni partium studio remotos nacta fuisset, omnia sibi ex voto cessissent proculdubiò. Nunc quæ tandem spes, ut fortunæ utriusque arbiter DEUS, teterrimo operi huic propitius adsit, quod tam monstrosa crimina ad ipsius religionis dedecus & opprobrium fovet? Apparet luce meridianâ clarius depositâ larvâ personatum scelus: sacrilega parricidarum in cædem Regis conspiratio detexit atrocitatem consiliorum nefandi cætûs, qui mutuatô libertatis ac religionis nomine utrique hactenus insolenter illuserat.

Quare falluntur illi, qui gentem universam, qui omne nobilitatis nomen, gravissimarum, quas perferimus, cladium auctorem putant. Nonne ista æquiore jure his sunt adscribenda, qui temere incæpto opere, ut temeritatis suæ, ita & exitii cæteros participes effecerunt. Cumque nequeant apertô, ut ajunt, marte dimicare, fraudibûs & dolîs grassantur turpissimè: qui cæca credulorum simplicitate abutentes, ludificantur rude vulgus, sparsîs ultro citroque anilibûs rumoribus: *cæsos videlicet ad internecionem ab Ottomannis Moschos: nihil his terrâ marique prosperum: ingentem pecuniæ numerum è Gallia ad conscribendos milites fœderatis submissum: Austros brevi in suppetias cum valida manu in Poloniam irrupturos: obsidionem Petropolis à Suecis parari: Bavaros, Vittembergos Gallorum stipendiarios, jam magnîs itineribûs contendere:* cæteraque id genus stulta & inania, quæ temere audita, temere credita,

 ac sæpius

ac saepius in majus aucta, plebem novorum avidam, in urbe & per provincias miserè decipiunt.

Atque hæc quidem studio & labore indefesso à fæderatis Barensibus acta fuerunt: superest alia pars nationis, quæ in mediis hisce turbis quieta manet: hanc quod attinet; venit mihi in mentem præclari illius Solonis instituti, quô pæna irrogabatur civibus, qui belli civilis tempore nullas partes secuti essent.

Hîs ita breviter expositîs, hoc tandem statuendum est. Satis superque cives tumultuati sumus. Tempus est iras ad amicitiam, turbas ad concordiam componere, ut communi demum parenti nobisque, depositâ omnî prava æmulatione consulamus. Jungamus dextras; perennis fidei, ac mutuæ charitatis tesseras. Valeant apud infensos tot clades atrocissimæ, atque ingruens fortasse fatalis jam hora, si cætera ambiguâ mente speculamur. Non est operæ pretium studiosiùs perquirere primum calamitatum nostrarum auctorem. Omnes eâdem culpa tenemur: quisque pro sua parte contulit, unde universi patiamur. Sinamus in emorientis jam patriæ materna sævire viscera, ne cæteris malis nostris hic quoque cumulus accedat: *Polonos Phrygibûs deteriores, ne post repetita quidem toties damna serò sapere didicisse.*